

Christian.

vocitatur. Que sicut par ei fuerat in errore gentilitatis, immolando simulacris, ita et in religione christiana imitando, immo precellendo virtutes sui viri, facta est vere Christi famula. Suscepit autem ex ea sepe memoratus princeps tres filios totidemque filias et, ut ei beatus Metudius prophetico ore predixerat, cottidianis incrementis cum omni gente sua regnoque augmentabatur. Peractoque temporis sui cursu, plenus dierum bonitateque, diem clausit ultimum, tricesimum quintum vite sue complens annum. Suscepitque pro eo regnum eius primogenitus filius ipsius Zpitigneu, cunctis virtutibus bonitatis famaue sanctitatis ad modum fulgens. Imitator siquidem patris factus, fundator extitit ecclesiarum dei, congregator sacerdotum clericorumque perfectusque in fide Christi, peractis vite sue annis XL luce ex hac migravit astra petens. Cuius post transitum frater eius Wratizlau regni suscepisse dinoscitur gubernacula, ducens uxorem nomine Dragomir ex provincia Sclavorum paganorum, que Ztodor dicitur, Iezabeli illi assimilandam, que prophetas malicia sua trucidavit seu Eve prothoplasti uxori, que Cain et Abelem enixa est. Siquidem Dragomir peperit ex ipso principe natos binos, unum vocitatum Wencezslau, alterum vero Boleslau.

Cosmas.

in principatum Spitignew. Post cuius obitum obtinuit Wratizlav ducatum, qui accepit uxorem nomine

Dra-
gomir de durissima gente Luticensi et ipsam saxis duriorrem ad credendum ex provincia nomine Stodor. Haec peperit binos natos Wencezslau deo et hominibus acceptabilem et Bolezslau fraterna caede execrabilem.